

plicum seu fautorum subditos homines terrigenas et servitores et quamplures alios nobis et sacro imperio subjectos contra Cesaree prohibitionis edictum nostrosque processus sentencias et mandata emissos cum prefatis Bernabone et Galeacz suisque subditis fautoribus et complicibus ac eis adherentibus et communicantibus confederaciones, ligas ac convenciones, negociaciones et pacta lucri et questus inivisse et inire ac in nostris et sacri Romani imperii terminis cum eorundem Bernabonis et Galeacz suorumque subditorum complicum adherencium et fautorum mercimoniis, pecuniis, bonis et rebus aliis aliquociens publice, aliquociens latenter, emere, vendere, negociari et mercari ac convenciones atque pacta lucri et questus eciam usurarii aliquando et aliorum contractuum et negociacionum genera, utilitatem, profectum et commodum dictorum Bernabonis et Galeacz, suorum adherencium colligatorum complicum et fautorum concernencia, ad ipsorum rebellium animandam rebellionem et perfidiam in sancte Romane ecclesie et nostre majestatis et literarum, sentenciarum, processuum et mandatorum inde subsecutorum et emissorum prejudicium, lesionem, offensam, vilependium et contemptum pertinaciter exercuisse atque exercere, penas et sentencias in dictis literis et processibus contentas et expressas non verentes. Verum cum nostra intersit tamquam defensoris sacrosancte Romane ecclesie principalis hijs sollicite providere, ut tantorum rebellium inmanis et detestanda rebellionis sevicia refrenetur, de vestris et cujuslibet vestrum circumspeditionibus plenioram fiduciam obtinentes vobis et cuilibet vestrum insolidum animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed sano principum, comitum, procerum et magnatum nostrorum et imperii sacri fidelium dilectorum accedente consilio, inquisitionem contra subditos fautores, complices et colligatos dictorum Bernabonis et Galeacz ipsisque communicantes seu participantes aut cum bonis pecuniis mercimonijs sive rebus ipsorum directe vel indirecte, publice vel occulte contrahentes aut negociantes de presenti, ac illos, qui talia vel alia, que dictorum Bernabonis et Galeacz suorumque subditorum complicum vel fautorum utilitatem, lucrum, commodum vel profectum respicere, concernere vel inducere potuerunt vel possunt vel induxerunt, quovismodo fecerunt aut egerunt, postquam dicti processus Cesarei emanarunt, faciendam committimus et auctoritate presencium delegamus, dantes et concedentes vobis et cuilibet vestrum insolidum plenam, absolutam et latissimam auctoritatem ac potestatem omnimodam de Cesaree potestatis plenitudine, sepedictos subditos fautores, complices et colligatos dictorum Bernabonis et Galeacz suorumque adherencium, complicum et fautorum seu participancium aut communicancium cum ipsis Bernabone et Galeacz eorumque adherentibus et fautoribus in contractibus, mercimonijs, ligis, pactis, conven-